

*nobis imaginemur temporalem aliquam durationem ante mundum, in quâ Filius DEI fuerit: sed Jobannes hoc loco loquitur humano more, & notant Bb. Patres, non dici fuit, sed erat, ne quis intelligat illum præterisse aut esse desisse, ut vulgatum illud, Fuimus Troes, id est, non amplius sumus. Erat enim perennitatem æternam significat, ac si dixeris, Cùm omnia, quæ principium habuerunt, esse cœperunt, Verbum jam erat. Et, siquidem istud aliquid hoc facit, de Jobanne Baptistâ dicitur, Fuit homo missus à DEO. Sed de Λόγῳ, Erat lux vera. Filius ergò DEI (sunt verba Jobannis Brentii Hom. 2 in Jobannem) non tunc primùm cœpit esse, cùm assumpsit hominem ex Mariâ virgine, quemadmodum Cerinthus & Ebion blasphemarunt. Assumpsit quidem ex Mariâ virgine hominem, & cœpit tunc homo esse, sed non cœpit esse filius DEI. Nec factus, nec creatus est ante alias creaturas, ut fuerit aliquando, cùm non esset, quemadmodum Ariana impietas infarnit. Ego (inquit) & Pater unum sumus, Unum videlicet, non voluntate tantùm, quemadmodum credentes in CHRISTO unum sunt, nec potentiâ tantùm, sed etiam naturâ & essentiâ. Neq; enim posset esse vera voluntatis & potentiæ unitas, nisi etiam esset naturæ ac essentiæ unitas. Filius est splendor gloriæ DEI & effigies substantiæ ejus: DEUS autem ab æterno extitit, fulsit & splenduit, Quare necesse est fulgorem & splendorem ejus, qui est Filius ipsius, ab æterno fuisse.*

*Sed ulterius dicitur, Verbum fuisse apud DEUM Nempe, uti brevissimè explicat B. Gerbardus, tanquam peculiaris & distincta persona. Et Eilbardus Lubinus, Particula APUD distingvit perso-*

*so.*